merenti gratias agere, facile eſt, Patres Conſcripti: non enim periculum eſt, ne cum loquar de humanitate, exprobrari ſibi ſuperbiam credat; cum de frugalitate, luxuriam; cum de clementia, crudelitatem; cum de liberalitate, auaritiam; cum de benignitate, liuorem; cum de continentia, libidinem; cum de labore, inertiam; cum de fortitudine, timorem. Ac ne illud quidem vereor, ne gratus in- 5
gratusue videar, prout ſatis, aut parum dixero. Animaduerto enim, etiam Deos ipſos, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et ſanctitate laetari: gratioremque exiſtimari, qui delubris eorum puram caſtamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.

Cap. IV. Sed parendum eſt Senatusconſulto, quod ex vtilitate publica placuit, vt Conſulis voce

Paucioribus exemplis defungi licuiſſet in illuſtranda ſententia hac generali: ne cum laudem virtutes eius, putet ſibi vitia contraria exprobrari. Sed Noſter placuit ſibi multitudine anti[illegible]torum. Aliter res ſe habet ap. Cic. Cat. II, 11. vbi res ipſa magnum vitiorum virtutumque catalogum poſtulabat.

5. Praeclara ſententia, quam adeo variatis verbis bis propoſuit lectori. De *caſta* et *pura* mente v. ad I, 3. *carmen*, formula precum. Liu. 39, 15. *ſollemne carmen precationis.* Horat. I. Od. 2, 27. *minus audientem Carmina Veſtam. meditatum* paſſiue, vt ſaepe, conceptis verbis compoſitum.

Cap. IV. Quando illud *SCtum* factum ſit, non conſtat. Non temere Lipſius coniicit, iam ſub Auguſto coepiſſe Coſſ. Caeſari gratias agere, quemadmodum tempore liberae reipubl. populo egerint. Ad Auguſtum enim translata erant iura populi, idemque nouos magiſtratus creabat. *Quod*, expulſum a Geſnero et Schwarz. reuocaui e Mſſ. Pariſ. Venet. Patav. Schwarz. libro Voſſii, et Editt. plurimis antiquis. Parendum eſt noto illi SCto, quod vtilitatis publicae cauſſa (Senatui) placuit ſ. factum eſt; nempe eo conſilio, vt conſulis voce etc. Miror ſententiam hanc facillimam non placuiſſe Intt. doctiſſimis. Schwarzius monet, ſi *quod* retineatur, verba *quod ex vtil. p. placuit* eſſe per parentheſin addita. Male. Quis enim Latinus dicat: *Parendum eſt vt recognoſcerent?* Leges enim linguae poſtulant, *vt recognoſcant.* Neque Plinius parere vult, vt omnes Principes, boni et mali, audiant quid faciant; ſed vnum Traianum laudare vult. Etiam Arnzenius ſeruauit *quod*, ſed male illud explicat per *quia.* H. Stephan. in margine